



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

68. An in voto, & iuramento non ludendi detur paruitas materia? Et notatur  
in voto pœnali non incurri pœnam, quando transgresso est leuis. Ex part.  
5. tr. 5. res. 38.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

enim sub vna singulari & inevitabili poena promitti perpetua ludi vitatio, & tunc illa poena sic promissa te continere potest in perpetuum a ludo, dum illam non contrahis. Esto post illius incurfionem cesserit.

5. Ob hanc rationem existimo, si poena, quam per votum promittis, grauiissima fit, quaeque iterari non solet, qualis est religionis, peregrinationis Romanae, Ierosolymitanarum, aut exorbitantis elemosynae de prima vice tantum votum intelligendum esse. Sic expressè Sanchez d. r. 2.2. n. 2. De aliis verò poenis moderatis vtrius est cuiuslibet transgressioni suam poenam correspondere, ad illamque subeundam te obligare velle. Quia hac ratione efficacius te à delictis praeruas, & in bono contineres, Haecque Palau vide etiam me ipsum vbi sup. & me citato Trullench in Decal. to. 1. lib. 2. ab. 26. n. 10.

RESOL. LXVIII.

An in votis & iuramentis non ludendi deus paritas motoria?

Et mouetur in voto poenali non incurri poenam, quando transgressio est leuis. Ex p. 7. r. 9. Ref. 38.

§. 1. Aliqui tradunt iuramentum, vel votum non ludendi intelligi de ludo illicito magna quantitate, & non de licito modice quantitate, qui ratione honestae recreationis exerceatur, quare censere videntur esse seculum nullam reperiri culpam in ludo hoc contra id votum, vel iuramentum. Iudicant iuramentum, vel votum abstinendi ab hoc ludo modico fore irrita, quia cum ille ludus honestus sit actus virtutis extraplae, teste D. Thom. 2. 2. q. 168. a. 2. in corp. iuramentum, vel votum abstinendi ab hoc ludo essent contra bonos mores, & actum virtutis, ac proinde essent irrita Ita Nauarrus in manuali. 1. 2. n. 11.

2. Sed circa praesentem quaestionem sequenda est opinio Sanchez in summa tom. 1. lib. 5. c. 18. n. 2. & 3. vbi ponit duas conclusiones. Prima conclusio, Si iurans, vel vouens incidit se obligare ad abstinendum à ludo modice quantitate, & qui alias secluso voto, vel iuramento esset actus virtutis, votum & iuramentum essent valida, ac perpendendum esset ex obiecti quantitate an transgressio esset mortalis, an venialis, vt contingit in transgressione aliorum votorum, vel iuramentorum. Secunda conclusio, quando non constat de expressa vouentis, seu iurantis intentione, ea ex ipsius sine perpendenda est, si enim iurantis fuit priuare se temporalibus illi ludi delectatione, quo peccata sui puniret, aut mens diuinis tractandis aprior esset, tunc quicumque ludus siue magnus, siue modice quantitate, siue magno, siue modico tempore durans, comprehenditur sub eo iuramento, & tunc quantitas ludi ad discernendum an fractio sit mortalis, necne, minime spectanda est ex pecunie ludo expositae quantitate, sed ex illius recreationis ex ludo perceptae duratione. Si enim modico tempore duret, recreatio modica est, & ideo sola erit venialis culpa, si autem ludus tempore multo duret, erit culpa mortalis, et si nulla pecunia ludo exponatur, quia iurans ad solam ex ludo voluptatem capiendam attendit. Quod si finis iurantis, vel vouentis fuit vitare iacturam temporis in ludis consumpti, vt Deo, vel aliis negotiis vacaret, tunc etiam non est perpendenda pecunie quantitas, sed temporis in ludis expensis, & quando modico tempore luderetur, nec probabile periculum esset ita in ludo inualescendi, vt diu protraheretur, credo nec culpam venialem esse. Sicut dicemus statim de ludo paruae quantitate, quando finis fuit prodigalitas pecunie vitanda. Quia sicut ibi est prodigalitas pecunie finis, ita hic est prodigalitas temporis, nec prodigalitas temporis eiusue iactura dicitur, quando modico tempore recreationis causa luditur, si autem aliquantulum in tempore excedatur absque

praedicto periculo erit culpa venialis, si verò magna sit mora, vel praedictum periculum adsit, erit culpa mortalis, si finis sit vitare iacturam pecunie, & prodigalitate, tunc ex pecunie ludo expositae quantitate diiudicanda est culpa ludi. Et in hoc casu est vera sententia quae afferit ludum modice quantitate non esse culpam etiam venialem, addendo tamen, nisi probabile periculum ita incalescendi in ludo sit, vt magna pecunia prodigatur. Et ratio est, quia in virtute talis actus non includitur voluntas vitandi ludi in ea modica quantitate, si autem magna pecunie quantitas ludo exponatur, vel id probabile periculum subit, erit mortale. Sicut autem prodigalitas non est absoluta, sed respicit prodigantis facultates, ita haec parua, vel magna quantitas mensuranda est penes ludentis facultates, quamuis concedendum sit aliquam quantitatem parua esse, vt respectu cuiuscumque non constituat mortale, & aliquam ita magnam vt respectu cuiuscumque mortale efficiat, quod prudentis arbitrio relinquendum est. Si autem finis sit vitare occasionem audiendi instandi ludo spe iacturae resarciendae, aut lucri maioris acquirendi, quod vulgo dicimus, Per no picarno en el juego, ex occasione hac sic instandi attendenda est ludi quantitas. Similiter si finis sit vitare discordias cum domesticis, vel cum coludentibus, aut blasphemias, aut peritiam, aut alia peccata ex ludo oriri solita ex occasione horum peccatorum ludenti data ex ludo perpendenda est haec quantitas ad discernendam eius culpam. Haecque Sanchez, cuius verba per extensum ponere volui, quia casus potest frequenter accidere, & ex his possunt Confessarij decernere, quando talis ludus sit mortalis, vel venialis.

3. Non desinam etiam hic adnotare Merollam 10. 1. disp. 1. 2. coroll. 5. n. 60. docere in voto poenali non incurri poenam quando transgressio est leuis, vt si quis voueat aliquam poenam si Sacrum non audiat, vel si ludat, aut si voueat audire Sacrum, vel non ludere sub aliqua poena, non incurrit poenam, si materia ludi sit modica, vel si modicam Sacri partem amittat, quam ego probabilius puto esse vsque ad Euangelium inclusiue, vt alibi probatum est.

Alibi in Ref. quae nunc est in to. 1. r. 1. Ref. 10. §. 1. &c.

RESOL. LXX.

An qui vouit non ludere sub poena, vt non possit dispensari nisi à Summo Pontifice, possit ad hoc ab Episcopo absolui? Ex p. 7. r. 9. Ref. 39.

§. 1. Hoc dubium nouissime tetigit Trullench in Decal. tom. 1. lib. 2. c. 1. d. b. 5. n. 2. vbi sic ait. Hinc constat solutio illius difficultatis, quae quaeritur vtrū vouentes, vel iurantes, v. g. se amplius non luluros sub poena, vt si luserint, non possint ab illo absolui, vel dispensari, quam Summus Pontifex nimirum, adhuc hoc voto non obitante, posse ab Episcopo absolui, aut dispensari, quia huiusmodi votum non est de reuerentiis Pontifici, & sic non auferit iurisdictionem Episcopis, & sic videtur esse de re impossibili: Haecque Trullench, qui citat Sanch. & Bonac. quibus Ego etiam adhaereo.

Sup. hoc in tom. 1. r. 3. Ref. 81. post med. ver. Et ita, & ibi sup. hoc etiam ex vi Ciuitatis.

RESOL. LXXI.

An qui habet potestatem dispensandi in votis, possit dispensare cum habente votum non ludendi? Et an hoc votum, vel iuramentum de non ludendo possit dispensari hac sola causa, quia vouens, vel iurans magnum desiderium, & temptationem patitur ludendi? Et an tale votum, vel iuramentum possint commutari in rem meliorem, vel aequè bonam, & Deo gratiam per Episcopum, siue per alium ex privilegio habentem auctoritatem commutandi?